

affert : poenitentem absolutum antequam occasionem deseruerit, facile sibi persuasurum esse quod tentationibus resistet, et sic, occasione non dimissa, profecto rediturum esse ad vomitum : quare, si talis vellet absolvi antequam occasionem deseruerit, esset indispositus quia se constitueret in probabili periculo infringendi propositum : ac propterea confessarius, qui eum absolveret, ipsum relinquendo in tali periculo, utique peccaret tam contra officium judicis quam medici, quia absolveret indispositum, non applicando illi remedium suae salutis necessarium. Sed haec supponunt, quod minime certum est, graviter peccare eum qui se tantum probabili peccato exponeret. (n. 372) Deinde, cum ipse S. Alph. (l. c.) admittat absolvi posse poenitentem qui afferat extraordinaria signa doloris, vel qui nullatenus aut nonnisi post longum tempus ad eundem confessarium redire posset, doctrina haec practice non ita multum a sententia nostra discedit, sed valde intricata est et cum genuinis principiis parum cohaerere videtur.

Attamen, si publicus peccator nequit statim ad S. Communionem admitti (n. 122) et facile redire potest, praestabit etiam absolutionem differre donec occasionem reliquerit.

III. Absolvi potest qui vult manere in occasione proxima quam relinquere nequiret absque scandalo, gravi infamia vel magno detrimento temporali aut spirituali, dummodo adhibere velit media accommodata ut periculum removeat, puta frequentiore orationem vel sacramentorum usum, aliquam poenitentiam pro singulis lapsibus assumere, vitare congressum solius cum sola, etc. (Lugo. disp. 14. n. 152 ; S. Alph. n. 455) Etenim, si paratus est his mediis occasionem ex proxima facere remotam, nihil est cur indispositus censeatur : siquidem periculum peccandi in tali hypothesi non assumitur voluntarie, sed necessitate imponitur.

Frustra conati sunt AA. amplius determinare quam grave debeat esse illud incommodum quod a relinquenda occasione proxima excuset. Tantum dici potest : severiores esse qui requirant moralem impossibilitatem, laxiores qui censeant sufficere easdem causas quae ab aliis praeceptis, ex. gr. audiendi Missam vel jejunandi, excusent. Cetera prudentiae confessarii relinquenda sunt, qui exemplis ab AA. communiter positae dirigetur. Ita, juxta Lugo (l. c.), absolvi potest filius familias, quamvis maneat domi serva cum qua solet peccare, quam tamen expellere non potest, nec facile aut decenter fiet, et a fortiori si cum fratre vel sorore habet occasionem peccandi. Juxta S. Alph. (l. c.) absolvi possunt chirurgus qui in medendis mulieribus, et parochus qui in excipiendis confessionibus pluries peccant, si aliter ipsi non possent vivere juxta suum statum.

374. IV. Si quis in occasione proxima necessaria positus, saepe relabitur in eadem peccata, et post plures confessiones redit absque ulla correctione, S. Alph. (n. 457) cum pluribus aliis opinatur " hunc non posse absolvi, nisi occasionem deserat, cum jactura adhuc vitae, si opus est, quando nulla emendatio, nec probabilis spes emendationis appareat. " Rationem affert : tunc periculum a peccato sejungi non posse. Quare applicanda sunt notissima monita Salvatoris (Marc. IX, 46) : Si oculus tuus scandalizat te, ejice eum, etc.

Sed probabilius opinamur cum Lugo (disp. 14. n. 157 seqq.), Ball. P. (n. 192 seqq.), etc. talem poenitentem non esse absolute cogendum ut occasionem deserat, et sufficere ut serio velit adhibere media quae occasionem hanc e proxima remotam faciant. Ratio est : quia, etiam post talem experientiam, constare potest dolor et propositum sufficiens, absque voluntate auferendi occasionem cum tanto detrimento. Si enim talis poenitens prima vice absolvi potuit absque hujusmodi voluntate, quia non tenebatur hanc occasionem cum tanto detrimento auferre, idem etiam post multos lapsus dicendum erit, cum idem incommodum maneat. Neque obstat illa moralis certitudo crebrorum lapsuum qui iterum ex eadem occasione sequuntur, sicut non obstat pro eo qui similes lapsus praevideret ex occasione quam absque scandalo tollere nequeat (ut contingit quandoque in peccatis occultis), vel e periculo homini intrinseco. Profecto illa moralis conexio cum peccato jam constabat, quando prima vice agnovit confessarius eam esse occasionem proximam ; experientia nihil aliud fecit quam majorem certitudinem de eadem praebere. Quare, si prima vice absolvi potuit poenitens etiam manendo in ista occasione, per se poterit iterum in iisdem adjunctis absolvi. Neganda autem videtur hypothesis quam ponit S. Alphonsus : nullam superesse spem emendationis, etiamsi media tum generalia, ut oratio, tum particularia, ut vitare congressus solitarios vel familiaritates, adhibeantur. Nam, si nulla hucusque emendatio secuta est, inde poterit tantum concludi : media proposita non fuisse sufficientia vel esse neglecta. (Ball. P. n. 193)

Aliquando tamen fieri potest ut, experientia multorum relapsuum, pateat poenitentem nunc carere dolore et proposito requisito, sicut supra (n. 370) de recidivis absque proxima occasione dictum est. In hoc casu eadem regulae in deneganda vel differenda absolutione sequendae sunt, quas de recidivis dedimus.

§ 5. DE RATIONE AGENDI CUM POENITENTIBUS.

375. I. Universim in ratione qua confessarius cum poenitentibus agit, elucere debet paterna quaedam caritas. Etenim, cum vices agat

benignissimi Salvatoris in administrando sacramento, in quo mirabiliter divina misericordia elucet, necesse est ut ipsius Christi benignitatem et mansuetudinem erga peccatores, quantum fieri potest, imitetur. Ideo a S. Alph. (Prax. Conf. n. 2 seqq.) aliisque AA. inter munera confessarii primo loco **munus patris** recensetur. Hanc paternam caritatem sacerdos imprimis exercere debet erga illos poenitentes qui, multis peccatis infecti et vix ulla diligentia scrutandae conscientiae dolorisque excitandi praemissa, prorsus imparati accedunt. Ut enim sapienter loquitur Leo PP. XII (Bulla *Caritate Christi*, 25 Dec. 1825) de ratione cum hujusmodi hominibus tenenda: "Sacerdos, indutus viscera misericordiae Christi Jesu, qui non venit vocare justos sed peccatores, sciat *studiose, patienter et mansuete* cum ipsis agere."

Sed cavendum est ne haec paterna benevolentia cum poenitentibus piis, praesertim cum mulieribus, in affectum nimium, immo et periculosum, transeat. Quare cum hujusmodi poenitentibus confessarius caveat praecipue a sequentibus defectibus:

1^o Ne prohibeat quominus ad alium confessarium accedant, et, si quando accessisse advertit, ostendat id sibi gratum fuisse, neque inutiliter eos interroget a quo tempore confessi sint quasi velit scire num forte ad alium perrexerint. Immo, ut monet S. Alph. (Prax. Conf. n. 100): "Ipsis imponat ut aliquando apud alios confiteantur, praeterquam si quis esset valde scrupulosus, de quo prudenter timeat ne, si ad alium accedat qui ejus conscientiam ignorat, notabiliter esset inquietandus."

2^o Si accedit poenitens qui confessarium suum ordinarium relinquere velit, ne facile hoc consilium probet, sed tantum quando urgens causa, ex. gr. manifesta inscitia vel incuria vel imprudentia alicujus sacerdotis, hanc mutationem postularet. Secus enim magnum periculum est ne relictus confessarius offendatur, poenitentis vana libido foveatur, et novus confessarius brevi pro tertio deseratur.

3^o Ne nimium tempus terat cum devotulis, dum eas sinit colloquia otiosa vel ad confessionem minime pertinentia in confessionario instituere, frustra praeteritas culpas enucleate repetere, pluries absque necessitate singulis hebdomadis confiteri, etc. Ex his enim defectibus non tantum varia incommoda in ipsum confessarium derivantur (ut facile cuique prudenti patebit), sed ipsa communis existimatio sacramenti poenitentiae inter fideles minuitur; immo impiis occasio calumniandi praebet. Juxta S. Alph. (Prax. Conf. n. 148): "Generaliter loquendo, sufficet personis spiritualibus, praesertim scrupulosis, confiteri semel aut ad summum bis in hebdomada."

II. Insuper boni confessarii est se variis poenitentium condicionibus, indoli, necessitatibus, viribus spiritualibus, etc. ita attemperare, ut

omnes e sacramento poenitentiae quamplurimos fructus nanciscantur. De hoc amplissimo argumento agere supersedebimus. Nam quae doctrinam theologicam postulant, satis in variis locis praesentis operis, et praesertim in hoc tractatu de Poenitentia, explicavimus. Cetera unicuique suggeret naturalis prudentia, et personalis rerum spiritualium experientia. Utilissimum tamen erit attente pervolvisse aliquem ex iis libellis in quibus praxis cum variis poenitentium classibus tenenda fusius exponitur.

Inter antiquiores commendari merentur La Croix (Theol. Mor. l. 6. p. 2. nn. 1786 1932) (1) et S. Alphonsus (Praxis confessarii ad bene excipiendas confessiones). E recentioribus, confessarium sapienter informant pro regionibus nostris R. P. Aertnys (Theologia Pastoralis complectens practicam institutionem confessarii) et pro Foed. Amer. Statibus Dr. Gul. Stang. (Pastoral. Theology) (2)

CAPUT III.

DE ADJUNCTIS POENITENTIAE.

§ I. DE SUPPLENDIS DEFECTIBUS IN CONFESIONE COMMISSIS.

376. Ad tres classes reduci possunt defectus in confessione admissi: defectus qui ad valorem sacramenti pertinent, ut si confessarius absolvit sine jurisdictione vel debita dispositione poenitentis; — defectus aliud damnum tertio vel poenitenti inferentes, ut si non obligavit ad restitutionem debitam vel obligavit ad indebitam; — defectus qui neque valori sacramenti obsunt, neque ulli detrimentum afferunt, sed solum nocent integritati confessionis, ex. gr. omittingo interrogationes necessarias de numero vel specie peccatorum. (Lugo, disp. 22. n. 50) Quasdam regulas de singulis classibus dabimus.

(1) Egregium hunc tractum sub titulo "Confessionum audiendarum regulae practicae" separato libello edidit P. Car. Houze. S. J. (Lovanii, 1890)

(2) Plerique recentiores post S. Alphonsum (Prax. Conf. n. 2) recensent quatuor munera confessarii: patris nempe, medici, doctoris et judicis. Quid complectantur singula, facile unusquisque ex hoc Capite II colliget.